

haud erit, secundam tandem in sermone Pauli post tot nomina-  
tos subijci Personam; *in domo tua*; cum ad unum caput, to-  
tiusque Familiæ Principem referatur. Et quidem tot advocat  
Paulus in allocutione Personam, *quia non modo à plurimis roga-  
ri, verum & ad plurimos offerri preces multum habet virium ad  
impetrandum*, ut ait Chrysoſtomus, qui & quam compungendi  
commovendique efficaciam singulæ, quæ expressæ sunt, personæ  
habeant, pro more suo facundissime ostendit.

§. III. vers. 3. *Gratia Vobis & Pax à DEO Patre nostro &  
Domino Jesu Christi* uberrime obtingat,

Gratia nempe illa, qua & jam olim conversi fuerant Phi-  
lemon & domestici, & emanans inde conscientia tranquillitas,  
cum omnigena, temporali æternaque salute. Hanc ita omni-  
bus singulisque adprecatur, ut ejus & continuationem & aug-  
mentum quotidie sentiant. Quærit & hic argumenta commo-  
vendi Philemonem *Chrysoſtomus*, quæ vero utrum ex intentione  
Pauli fluant, cum hæc apprecandi formula & alibi frequenter in  
Epistolis ejus compareat, merito dubitare licebit.

§. IV. vers. 4. *Gratias ago DEO meo*, cui & officium  
meum, ab ipso mihi impositum, & cultum, ex sincero corde ei  
præstitum, tanquam benigno Patri meo, gratum esse, quem-  
que ideo me flagrantissime amare, precesque meas acceptas ha-  
bere, certo scio, quoties *memoriam tui in Orationibus meis facio,  
facio autem fere quotidie & semper.*

Exordium incipit Epistolæ, quo benevolentiam sibi conci-  
liat & aucupatur Philemonis, ut majus pondus habeant preces  
ipsius, quas pro Onesimo interpositurus erat. Bene itaque se  
ait de Philemone mereri, dum in orationibus suis quotidiana  
pro ipso familiaque ipsius DEO sacrificia offerat, quæ omni-  
genæ felicitatis successu carere nequeant, quippe qui noverit,  
DEUM sibi nihil denegare posse, cum sit suus DEUS, suus Pa-  
ter, & quasi intimus suus amicus. Inviçtæ enim & robustissi-  
mæ fidei vox est: *meus. Gratias ago, semper faciens memoriam,*  
græca loquendi ratio est, quasi diceretur, quoties facio memo-  
riam, semper simul gratias ago, ut recte *Theophylactus*. Paulò  
aliis,